

## **27th Latin Summer School**

**January 18 to January 22 2021**

**Class 3 b**

**Tutors:**

**Sarah Lawrence**

**and**

**Michelle McVeigh**

# Latin Summer School 2021



Level 3B

Marcus Tullius Cicero...  
**THIS IS YOUR LIFE!**

Tutors: Drs Michelle McVeigh and Sarah Lawrence

## Salvete Omnes!

Welcome to the 2021 Latin Summer School, Level 3B!

We decided that it might be interesting this year to focus on one Roman personality and explore what we know about their life from a number of different angles. Who better to focus on than Marcus Tullius Cicero? Given our unique access to Cicero through his personal letters and extensive writings, it often feels like we know him better than any other Roman. So let's get intimate with the Chick-pea himself!

On the following pages you will find the texts that we are planning to read and discuss this week. We may not cover all the texts, nor is it likely that they will be covered in the order in which they appear: much of the week's structure will largely be determined by your interests.

If you wish to prepare the texts in advance, you may find some of the following commentaries helpful:

- Daniel Garrison, *The Student's Catullus*, Oklahoma Series in Classical Culture. Norman, OK: University of Oklahoma Press, 2012 (4th edition but other editions are fine)
- R. G. Austin, *Cicero, pro Caelio* Oxford: Oxford University Press 1933, 1959<sup>2</sup>, repr. 1960)
- M.S.R. Burns et al., *Introducing Cicero*, Bristol Classical Press, 2002
- R.G.C. Levens, *Cicero: The Fifth Verrine*, Bristol Classical Press, 1996

There are, of course, many excellent student guides and commentaries out there, so please don't feel obliged to consult only these ones!

Looking forward to seeing you (virtually) in January,  
Sarah and Michelle.

## Catullus on Cicero

Catullus, 49.

*This poem has caused a great deal of scholarly discussion, mostly because we're not entirely sure how sincere Catullus is being and, if he is being genuine, why he feels the need to praise Cicero so comprehensively....there are theories that it's about a certain scandalous woman...*

Disertissime Romuli nepotum,  
quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,  
quotque post aliis erunt in annis,  
gratias tibi maximas Catullus  
agit pessimus omnium poeta,  
tanto pessimus omnium poeta,  
quanto tu optimus omnium patronus.

## Cicero the Poet

*Cicero was not content to excel at oratory, philosophy and letter writing, he also aspired to be taken seriously as a poet. Cicero's poetry has not met with quite the same acclaim as his other writings. The first selection here comes from Tacitus' work *Dialogus de Oratoribus* in which he comments on orators who also wrote poetry. This is followed by some of Cicero's poetry that he has one of the characters in his work on divination quote in support of an argument. This is an early example of self-citation, proceeding bibliometrics. Judge for yourself!*

*Dialogus de Oratoribus* 21

Concedamus sane C. Caesari, ut propter magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur: nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.

*De Divinatione* 1.47

"Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles  
arboris e trunco, serpentis saucia morsu,  
subigit ipsa, feris transfigens unguibus anguem  
semianimum et varia graviter cervice micantem.  
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans  
iam satiata animos, iam duros ulta dolores  
abicit ecflantem et laceratum adfligit in unda  
seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.  
Hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem  
conspexit Marius, divini numinis augur,  
faustaque signa suae laudis redditusque notavit,  
partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.  
Sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen."

## Cicero the Nobody

*Pro Plancio 64-66*

*Cicero defended Gnaeus Plancius on a bribery charge in 54BCE. This extract, taken from his speech, has nothing to do with the case but provides an entertaining anecdote about Cicero's high expectations upon his return to Rome from his quaestorship in Sicily twenty years earlier.*

[64] non vereor ne mihi aliquid, iudices, videar adrogare, si de quaestura mea dixero. quamvis enim illa floruerit, tamen eum me postea fuisse in maximis imperiis arbitror ut non ita multum mihi gloriae sit ex quaesturae laude repetendum. sed tamen non vereor ne quis audeat dicere ullius in Sicilia quaesturam aut clariorem aut gratiorem fuisse. vere me hercule hoc dicam: sic tum existimabam, nihil homines aliud Romae nisi de quaestura mea loqui. frumenti in summa caritate maximum numerum miseram; negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, mancipibus liberalis, sociis abstinentis, omnibus eram visus in omni officio diligentissimus; excogitati quidam erant a Siculis honores in me inauditi.

[65] itaque hac spe decedebam ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. at ego cum casu diebus eis itineris faciendi causa decedens e provincia Puteolos forte venissem, cum plurimi et lautissimi in eis locis solent esse, concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset quo die Roma exissem et num quidnam esset novi. cui cum respondissem me e provincia decadere: 'etiam me hercule,' inquit, 'ut opinor, ex Africa.'

[XXVII] huic ego iam stomachans fastidiose: 'immo ex Sicilia,' inquam. tum quidam, quasi qui omnia sciret: 'quid? tu nescis,' inquit, 'hunc quaestorem Syracusis fuisse?' quid multa? destiti stomachari et me unum ex eis feci qui ad aquas venissent.

[66] sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit quam si mihi tum essent omnes gratulati. nam postea quam sensi populi Romani auris hebetiores, oculos autem esse acris atque acutos, destiti quid de me audituri essent homines cogitare; feci ut postea cotidie praesentem me viderent, habitavi in oculis, pressi forum; neminem a congressu meo neque ianitor meus neque somnus absterruit.

## Cicero the Father

*One of the most touching sides we see of Cicero is his love for his daughter, Tullia. Tullia died in 45 BCE at the age of around 34 due to complications encountered in childbirth. Despite the image we sometimes receive of the Romans as being cold and fatalistic when it comes to their children, Cicero was absolutely devastated. The depth of his grief is evident in his letter to Atticus (the first extract below). He was so upset that his friend Servius Sulpicius Rufus wrote to him to advise him that he needed to pull himself together. His (extensive) letter follows (please note: it is unlikely that we will have time to translate Servius' letter during LSS; however, you may wish to read it afterwards).*

*Ad Atticum 12.15*

### **Scr. Asturiae vii Id. Mart a.u.c. 709. CICERO ATTICO SAL.**

apud Appuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuser videbis. in hac solitudine careo omnium conloquio, cumque mane me in silvam abstrusi densam et asperam, non exeo inde ante vesperum. secundum te nihil est mihi amicius solitudine. in ea mihi omnis sermo est cum litteris. eum tamen interpellat fletus; cui repugno quoad possum, sed adhuc pares non sumus. Bruto ut suades, rescribam. eas litteras cras habebis. cum erit cui des, dabis.

*Ad Familiares 4.5*

### **V. Scr. Athenis mense Aprili a.u.c. 709. SERVIUS CICERONI S.**

Posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli communemque eam calamitatem existimavi, qui, si istic affuissem, neque tibi defuisse coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est, propterea quia, per quos ea confieri debet propinquos ac familiares, ii ipsi pari molestia afficiuntur neque sine lacrimis multis id conari possunt, uti magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere quam aliis posse suum officium praestare, tamen, quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere, non quo ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias.

Quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus quam liberi cara esse debent, patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet atque omnia minoris existimare? An illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris et nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret? licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuventute generum diligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putas. An ut ea liberos ex sese pareret, quos cum florentes videret laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim petituri essent, in re publica, in amicorum negotiis libertate sua usuri? quid horum fuit, quod non, priusquam datum est, ademptum sit? "At vero malum est liberos amittere." Malum: nisi hoc peius est, haec sufferre et perpeti.

Quae res mihi non mediocrem consolationem attulerit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere: post me erat Aegina, ante me Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus, quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nine prostrata et diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: "hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta iacent? Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse hominem te esse natum?" Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem, si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas: modo uno tempore tot viri clarissimi interierunt, de imperio populi Romani tanta deminutio facta est, omnes provinciae conquassatae sunt; in unius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoveris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat.

Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt: illam, quamdiu ei opus

fuerit, vixisse, una cum re publica fuisse, te, patrem suum, praetorem, consulem, augurem vidisse, adolescentibus primariis nuptam fuisse, omnibus bonis prope perfunctam esse; cum res publica occideret, vita excessisse: quid est, quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Denique noli te oblivious Ciceronem esse et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium, neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt, sed potius, quae aliis praecipere soles, ea tute tibi subiice atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat: hoc te exspectare tempus tibi turpe est ac non ei rei sapientia tua te occurrere. Quod si qui etiam inferis sensus est, qui illius in te amor fuit pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore maerent, da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit, noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam quam rei publicae tempora et aliorum victoriam lugere.

Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere; quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi: vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam magnamque ex ea re te laudem apisci; fac aliquando intelligamus adversam quoque te aeque ferre posse neque id maius, quam debeat, tibi onus videri, ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cum te tranquillorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, quemadmodumque se provincia habeat, certiorem faciam.  
Vale.

## Cicero the Prosecutor

Cicero, *In Verrem V.161-163*


*Cicero did not often take on the role of a prosecutor but when he did it was with devastating effect. This is his final speech against Verres, the notoriously corrupt governor of Sicily. Cicero concludes the speech with the moving story of Publius Gavius.*

Ipse inflammatus scelere et furore in forum venit; ardebat oculi, toto ex ore crudelitas eminebat. Exspectabant omnes quo tandem progressurus aut quidnam acturus esset, cum repente hominem proripi atque in foro medio nudari ac deligari et virgas expediri iubet. Clamabat ille miser se civem esse Romanum, municipem Consanum; meruisse cum L. Raecio, splendidissimo equite Romano, qui Panhormi negotiaretur, ex quo haec Verres scire posset. Tum iste, se comperisse eum speculandi causa in Siciliam a ducibus fugitivorum esse missum; cuius rei neque index neque vestigium aliquod neque suspicio cuiquam esset ulla; deinde iubet undique hominem vehementissime verberari.

[162] Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, iudices, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur nisi haec, 'Civis Romanus sum.' Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur; is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim deprecaretur, sed cum imploraret saepius usurparetque nomen civitatis, crux,—crux, inquam,—infelici et aerumnoso, qui numquam istam pestem viderat, comparabatur.

[163] O nomen dulce libertatis! o ius eximum nostrae civitatis! o lex Porcia legesque Semproniae! o graviter desiderata et aliquando reddita plebi Romanae tribunicia potestas! Hucine tandem haec omnia reciderunt ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo qui beneficio populi Romani fascis et securis haberet deligatus in foro virgis caederetur? Quid? cum ignes ardentesque laminae ceterique cruciatus admovebantur, si te illius acerba imploratio et vox miserabilis non inhibebat, ne civium quidem Romanorum qui tum aderant fletu et gemitu maximo commovebare? In crucem tu agere ausus es quemquam qui se civem Romanum esse diceret? Nolui tam vehementer agere hoc prima actione, iudices, nolui; vidistis enim ut animi multitudinis in istum dolore et odio et communis periculi metu concitarentur. Statui egomet mihi

tum modum et orationi meae et C. Numitorio, equiti Romano, primo homini, testi meo; et Glabronem id quod sapientissime fecit facere laetatus sum, ut repente consilium in medio testimonio dimitteret. Etenim verebatur ne populus Romanus ab isto eas poenas vi repetisse videretur, quas veritus esset ne iste legibus ac vestro iudicio non esset persoluturus.



## Cicero the Philosopher

*De Officiis*, 1.74-8

*This section of text comes from Cicero's work de Officiis; this was written in the form of an extended letter to his son, Marcus, explaining his duties in terms of Stoic ideas of virtue and the good. Cicero says that he is largely building on the work of the Stoic philosopher Panaetius but, as you'll see, there are definitely touches that are very much about Rome, politics and Cicero...here he is comparing the virtue inherent in serving the world in different ways.*

[74] Sed cum plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas, minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit, eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum; vere autem si volumus iudicare multae res extiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae.

[75] Quamvis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen quam Solonis illustrius citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas, non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati; hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit, at ille vere [a] se adiutum Themistoclem; est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus.

[76] Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium Lacedaemoniis partum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt; quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario neque, cum versaremur in re publica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur; parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. Nec plus Africanus, singularis et vir et imperator in exscindenda Numantia rei publicae profuit quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum Ti. Gracchum interemit; quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione – attingit etiam bellicam, quoniam vi manuque confecta est – sed tamen id ipsum est gestum consilio urbano sine exercitu.

[77] Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab improbis et invidis audio "cedant arma togae concedat laurea laudi". Ut enim alios omittam,

nobis rem publicam gubernantibus nonne togae arma cesserunt? Neque enim periculum in re publica fuit gravius umquam nec maius otium. Ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus?

[78] Licet enim mihi, M. fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio ubi triumpharet esset habiturus. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus etiam quam in his operae studiique ponendum est.

## Cicero the Martyr

Seneca the Elder, *Suasoriae*, 7.1-4

*Suasoriae were rhetorical exercises in which speakers were set a speech to make to a historical personage, advising them on how to act in a particular situation. This suasoriae is about the (fictional) case that Mark Antony had offered Cicero the chance to live IF he would agree to burn his writings. Seneca the Elder's later work preserves what he saw as the most outstanding contributions made by a range of different speakers. Interestingly, the vast majority of the speakers recorded by Seneca advised Cicero to die, rather than to burn his works...*

7. Deliberat Cicero, an scripta sua comburat promittente Antonio incolumitatem, si fecisset

[1] Q. HATERI. Non feres Antonium. (in)tolerabilis in malo ingenio felicitas est, nihilque (prava) cupientis magis accedit quam prosperae turpitudinis conscientia. difficilis est, non feres, inquam, et iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies. Quod ad me quidem pertinet, multum a Cicerone absum, tamen non taedet tantum me vitae meae sed pudet. Ne propter hoc quidem ingenium tuum amas, quod illud Antonius plus odit quam te? Remittere ait se tibi, ut vivas, commentus, quemadmodum eripiat etiam quod vixeras. crudelior est pactio Antonii quam proscriptio: ingenium erat, in quod nihil iuris haberent triumviralia arma. commentus est Antonius, quemadmodum, quod non poterat cum Cicerone (proscribi, a Cicerone) proscriberetur. Hortarer te, Cicero, ut vitam magni aestimares, si libertas suum haberet in civitate locum, si suum in libertate eloquentia, si non civili ense cervicibus luerentur. nunc ut scias nihil esse melius quam mori, vitam tibi Antonius promittit. pendet nefariae proscriptionis tabula tot praetorii, tot consulares, tot equestris ordinis viri; paene nemo relinquitur, nisi qui servire possit. nescio, an hoc tempore vivere velis, Cicero; nemo est, cum quo velis. merito hercules illo tempore vixisti, quo Caesar ultro te rogavit, ut viveres, sine ulla pactione, quo tempore non quidem stabat res publica sed in boni principis sinum ceciderat.

[2] CESTI PII. Numquid opinio me fefellit? intellexit Antonius salvis eloquentiae monumentis non posse Ciceronem mori. ad pactionem vocaris, qua pactione melior inte(rim) pars tui petitur. Accommoda mihi paulisper eloquentiam, Cicero, nec perituram, rogo. si te audissent Caesar et Pompeius, neque inissent turpem societatem neque diremisset. si uti umquam consilio tuo voluissent, neque Pompeius \*\*\*

Caesar. quid (referam) consulatum salutarem urbi, quid exilium consulatu honestius, quid provocatam inter initia adulescentiae libertate tirocinii tui Sullanam potentiam, quid Antonium avulsum Catilinae, rei publicae redditum? ignosce, Cicero, (si) diu ista narravero: forsitan hoc die novissime audiuntur.

[3] Si occidetur Cicero, iacebit inter Pompeium patrem filiumque et Afranium, Petreium, Q. Catulum, M. Antonium illum indignum hoc successore generis. si serva(bi)tur, vivet inter Ventidios et Canidios et Saxas. ita dubium est, utrum satius sit cum illis iacere an cum his vivere? Pro uno homine iactura publica pacisceris? scio omne pretium iniquum esse, quod ille constituit: n(on) emo tanti Ciceronis vitam quanti vendit Antonius. si hanc tibi pactionem ferret: 'vives, sed eruentur oculi tibi; vives, sed debilita(bu)ntur pedes', etiamsi in alia damna corporis praestares patientiam, exceptisses tamen linguam. Vbi est sacra illa vox tua: 'mori enim naturae finis est, non poena'? hoc tibi uni non liquet? at videris Antonio persuasisse. Adsere te potius libertati et unum crimen inimico adice: fac moriendo Antonium nocentiorum.

[4] P. ASPRENATIS. Vt Antonius Ciceroni parcat, Cicero in eloquentiam suam ipse animadvertet? quid autem tibi sub ista pactione promittitur? ut Cn. Pompeius et M. Cato et ille antiquos restituatur rei publicae senatus, dignissimus apud quem Cicero loqueretur? Multos care victuros animi sui contemptus oppressit. multos perituros parati ad pereundum animi ipsa admiratio eripuit et causa illis vivendi fuit fortiter mori. Permitte populo Romano contra Antonium liceri: (si) scripta combusseris, Antonius paucos annos tibi promittit: at si non combusseris, fama populi Romani omnes.